



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quomodo peccatum possit corumpere bonum, cum nihil sit. L. M

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

*Vtrum in alius actus in quantum peccatum est, sit priuatio vel corruptio boni.* K

Potest etiam queri ab eisdem, Cum peccatum sit (vt supra dictum est) priuatio vel corruptio boni, & omnis actus malus sit peccatum: vtrum sit priuatio vel corruptio boni in quantum peccatum est, vel non? Si in quantum peccatum est, corruptio boni est, cum corruptio vel priuatio boni poena sit homini: in quantum ergo peccatum est, poena est. Quod si est, tunc in quantum peccatum est, bonum esse videtur, & a Deo esse. Si autem non in quantum peccatum est, corruptio est: queritur ergo secundum quod corruptio sit, si non corruptio est, & non in quantum peccatum est, cum non sit bonum praeterquam in eo quod peccatum est: ergo in quantum bonum est, corruptio vel priuatio boni est. Ad quod etiam ipsi dicunt actum malum non in quantum est, neque in quantum bonum est, esse priuationem vel corruptionem non boni, sed in quantum peccatum est: non tamen in quantum peccatum est, poena est, vel aliquid quod a Deo sit. Vt non ex verbis praemisissis Aug. colligitur, peccatum dicitur corruptio vel priuatio actiue, non passiuue. Nam ideo malum vel peccatum dicitur corruptio boni quia naturam bonam qualicumque priuat bono. Nam si non priuat aliquo bono, non nocet, vt supra Aug. ait. Nocet autem: adimit ergo bonum. Non autem nocet, nisi in quantum peccatum est: ergo in quantum peccatum est, priuat bono. Itaque in quantum peccatum est, priuatio est vel corruptio boni.

*\*Responso Aug. per similitudinē.*

*Quomodo in quantum peccatum est, possit corrumpere bonum, cum nihil sit.* L

Sed cum nihil sit in quantum peccatum est, quomodo potest bonum corrumpere vel adimere? Augustinus de hoc docet in li. de natura boni, dicens, Abstinere a cibo non est aliqua substantia: tamen substantia corporis si omnino abstineatur a cibo, languescit & frangitur: sic non est substantia peccatum,

*Aug. c. 4. 16. § 20. lib.*

catum, eo tamen natura animæ corrumpitur.

*Quod peccatum proprie corruptio est animæ,  
& quomodo.*

Peccatum vero, id est, culpa, proprie animæ corruptio est. Si autē queritur, in quo possit corrumpi anima? In parabola illius quæ incidit in latrones, qui eum vulnerauerunt & spoliauerunt, clarescit. Incidit enim homo in latrones, quando per peccatum in potestatem diaboli traditur, & tunc per peccatum expoliatur gratuitis bonis, id est, virtutibus: & in naturalibus bonis vulneratur, quæ sunt ratio, intellectus, memoria, & ingenium, & huiusmodi, quæ per peccatum obtenebrantur: & vitiatur. Per peccatum etiā priuatur illo bono, cuius participatione cætera bona sunt: quo tanto magis priuatur, quanto magis se ab eo elongat.

*Qualiter homo se elongat à Deo, scilicet per dissimilitudinem quam facit, hoc est peccatum.*

Ab eo autē se elongat homo per peccatum, non loci distantia, quia ubiq; totus & præsens est omnibus, & omnia in ipso sunt, vt ait Aug. in lib. 83. q. & ipse locus non est. Locus tamen Dei abusu dicitur templum Dei: non quod eo contineatur, sed quod ei præsens sit & inhabitans; id autem anima munda intelligitur. Per peccatum ergo, non secundum locum, aliquis longe fit à Deo: & in eo longe fit, quod ab eius similitudine recedit: & tanto longius, quanto fit dissimilior. Illa autem vt Aug. ait in lib. 83. quæst. quæ participatione similia sunt Deo, recipiunt dissimilitudinem: At ipsa similitudo nullo modo ex æqua parte potest esse dissimilis. Vnde fit vt cū similitudo patris filius sit, ex nulla parte patri possit esse dissimilis: cuius participatione similia sunt, quæcunq; Deo similia sunt, & illa possunt recipere dissimilitudinē. Nihil est autem quod hominē ad Deo dissimilē faciat, quemadmodum peccatum. Cum autem peccatum sit priuatio vel

cor-

*Quest. 20.  
in fin. 10. 4.*

*Ibid. quest.  
23. in fine.*